

Vol. xx. No. 1. 2. 3.
1775, 2.

DE
INTERPRETATIONE
PACIS WESTFALICAE
COMMENTATIO II
LECTIONIBVS AESTIVIS

AN. MDCCCLXXV

PRAEMISSA

A

D. CAR. HENRICO GEISLERO

SER. LANDGR. HASS. CONS. REGIM

PROF. IVRIS PVBLICI ET IN COLLEGIO

IVRISCONSULTORVM ASSESSORE

MARBV RGI

EX OFFICINA MVLLERIA

Freytagio 4. 8.



IN INTERPRETATIONE
PAGIS WESTFALICAE

COMMENTATIO II

LECTIONIBUS AESTIVIS

AN. MDCCCXXXV

PERMISSA

A

D. CAR. HENRICO GEISLERO

PROF. PABRI ET IN COLLEGIO


PROF. IVRIS PABRI ET IN COLLEGIO

PROF. IVRIS PABRI ET IN COLLEGIO

MARBURGI

EX OFFICINA MAYERII





Coepti ante aliquot annos de interpretatione Pacis Westfalicae nonnihil commentari. Quem quidem locum cum variis impedimentis obiectis non potuerim absol- uere, eum, ne abiectis penitus consilium videar, in praesenti lubet persequi. Igitur a constitutione textus, aliis- que, quae tum proposui, praesidiis interpretandi proximum tenet locum reperita, continua, atque attenda tabularum lectio. Hac quidem instructus esse debet quisque, qui iura publica feliciter tractare, aut reipublicae vtilem operam nauare cupit, cum hac pace contineatur fere summa totius Germaniae, ac ne post **CHLADENIVM V. A.** in Oratione de pace Westfalica plane inter exempla habenda et **HORMANNVM** Vir. Celeb. de die decretorio p. 3. sq. plura eius encomia inprimis ex epistolis Evangelicorum sine causa ad- cumulem, secundum ipsam Capitulationem Art. II. §. 6. totum corpus ciuitatis nostrae, tamquam firmissimo et perenni quodam vinculo, colligetur et copuletur. Sed qui animum ad interpretandas illas tabulas adiicit, etiam propterea multum ac studioso eas versare debet, quoniam, si saepe eas ac diligenter legerit, inprimis vno totas tenore, antecedentia et consequentia circumspexerit, subiecti et attributi vim et notionem excusserit, enunciationes ad suam quamque genus retulerit, et generales sint, an particulares, aientes, negantefue, absolutae, an cum coniunctione coniunctae, exceptiuae denique, et restrictiuae, nec ne, viderit, ac loca tandem similia, seu de eadem re agentia, rite inter se comparauerit, multa, quae ab initio in illa diuersitate orationis obscura videntur et perdifficilia intellectu, lucem deinde et explicatus ex se capere solent.

A

Nolo



Nolo singula, quae dixi, in his angustiis libelli exemplis comprobare, sed vno tamen aut altero opus arbitror, quo maiorem dictis lucem adfundam. Ita quidem nouimus, qui cum in comitiis aduersus ipsam diuturnam vtriusque partis consuetudinem, late illam *To. VIII. der N. STAATSC.* p. 132. sqq. demonstratam, per maiora negarent in partes secedi posse, huic opinioni suae inter alia ex ipso *I. P. Art. V. §. 55.* robur addere cuperent. Qui si locum ipsum diligenter inspexissent, diuersamque plane causam, quam explicare nunc non licet, subesse ei cogitassent, facile ab eo abstinuissent. Notandum certe hoc loco, quod Auctor *Obss. de iuribus eccles. et polit. civit. Imp.* p. 22. praecipit, *praedicata in I. P. quam strictissime de subiectis et obiectis, quibus connectantur, capienda esse*, etsi ceteroquin hoc, quod in vniuersum recte praecipit, in singulis locis saepe numero abutitur, atque id ipsum peruerso consilio contendere videtur. Sed ne vno in loco diutius haeremus. age, sumamus alium *Art. V. §. 31.* de sacris ciuium in statu anni decretorii relinquendis, quem quidem multi ita interpretantur, vt qualitatem possessionis ea in re neglegendam esse negent. Enimvero ne quid de *R. E. §. 3.* dicam, repetamue, quae in libello de *Grauarum. relig. auctor. iudic. Imp. tollendis §. 22.* a me dicta sunt, vnum illud vocabulum: *SOLA*, quod obseruantiae adiectum est, luculenter ostendit, absolutam indefinitamque esse enunciationem, nec referre, quiesca, an inquieta ciuium possessio fuerit, quemadmodum quoque *Euangelici T. VI. ACT. PAC.* p. 699. iam sub finem pacificationis censuerunt. Quae dum contendo, veniunt quoque in mentem, qui cum subditis *CVIVSCVNQVE GENERIS* exercitium religionis, prout status

— — — — —


status normalis ferat, ex illo loco I. P. relinquendum legant, his verbis sic vtantur, vt exinde etiam ad subditos quondam oppignoratos idem beneficii genus pertinere comprobent. Sed hos facile erit refellere ex ferie rerum, imprimisque ex Art. V. §. 27. ex quo quidem satis adparet, absolutam quidem esse enunciationem, sed secundum quid, nempe sic, vt praeter illos, de quibus peculiarem in modum conuenerat, complectatur reliquos omnes, cuiuscumque sint dignitatis aut ordinis. Equidem haecenus facio cum ENDRESIO, elegantis viro doctrinae summaeque humanitatis in Disp. de subditis quondam oppign. a comm. ann. decret. benef. exclusis c. III. §. 20. sq. quamquam vniuersam viri amicissimi disputationem nec velim nec possim meam facere. Possint haec sufficere. Verum vnum adhuc exemplum lubet adicere. Nempe hac memoria autodicia in causis religionis acriter oppugnata est a multis auctoritate Art. XVII. §. 7. *et nulli omnino Statuum Imperii liceat ius suum vi et armis persequi, sed si quid controuersiae siue tum exortum sit, siue posthaec inciderit, vnusquisque iure experiat, secus faciens reus sit fractae pacis.* Quae autodicia vtrumque habeat, (neque enim animus nunc non fert, controuersiam cum quopiam hac de re suscipere) illum tamen locum retrospectiua praecedentia facile adparebit ad aliud genus causarum pertinere, nec sine repugnantia quadam de grauaminibus religionis accipi posse. Posteaquam enim §. 6. controuersiarum, quae ex transgressione pacis insecuturae forte essent, exceptio facta fuerat, subiecta deinde cautio et regula generalis, ne fraudem illud cuiquam ferret, sed de aliis litibus iure omnes apud iudices experirentur: *salua tamen de cetero vniuscuiusque iurisdictione iustitiaeque iuxta cuiusque Principis aut status leges*



leges et constitutiones competenti administrationi. Et nulli omnino etc.

Atque in vniuersum hoc inprimis emolumenti ex continua et repetita pacis lectione interpretes capiet, vt exceptiones a regula scite possit discernere, quae res satis constat, quantum in iure publico momentum faciat. Quantum enim proh! Deum immortalem, non est disceptatum, ac nisi maxima rerum atque animorum insequatur conuersio, inposterum quoque disceptabitur de iure reformandi, istudne constituat regulam, an potius status anni decretorii? Sane in ipso I. P. Art. V. §. 33. *observantia anni 1624. instar regulae obtinere* debere dicitur, ac possit etiam, si id non fuerit, ex similitudine restitutionis ex capite amnestiae Art. IV. §. 1. illud facile effici. Nec vicissim tamen negandum, quod ipsi aliquando Euangelici in *dem Ungrund des Simultanei* apud SCHAUROTHIVM To. III. p. 595. facti sunt, de iure reformandi idem dici posse, vt verbi potius, quam rei controuersiam subesse aliquis existimare possit, ni diuersissimum sensum vimque plane discrepantem voci utrimque subiici constet, de quo sententiarum diuortio non dicam ex verbis, sed ex serie inprimis rerum tutissimo iudicari poterit.

Nec possum vero non admonere hoc loco, multiplici ea in re vtendum esse circumspectione, ne quam forte exceptionem, quae non sit, temere statuas, quod solet inprimis in aestimandis causis singularibus, quarum mentionem pax iniicit, multis haud raro accidere. Ita quippe erant aliquando, qui in re ecclesiastica a necessitate termini normalis Bauarum liberatum crederent ob locum I. P. Art. IV. §. 2. *dignitas electoralis — vt et Palatinatus superior totus — cum omnibus eorum appertinentiis, regaliis ac iuribus, sicut haecenus*



hactenus, ita et in posterum maneat penes — lineam Guilbelmianam. Sed ad hunc locum, qui ipsos adeo Euangelicos MOSERO Vir. Perill. auctore *von der Landeshoheit im Geistlichen* p. 559. aliquando turbavit, iam notavit HENNINGESIVS in Medd. p. 38. *vereor sane, ut his solis verbis: SICVT HACTENVS, ITA ET INPOSTERVM, effugere Bauarus necessitatem restitutionis potuisset, quae omnibus statibus ex decreto regulae vniuersalis inposita erat, cuius toto instrumento pacis respectu eius nulla inuenitur exceptio.* Ac recte sane. Namque illa verba solam possessionis perpetuitatem et continuationem spectant, estque vniuerse in aestimatione huius rei ita versandum, ne sine maxima rerum necessitate ac verborum perspicuitate exceptionem facias, qualem quidem Art. V. §. 41. Austriaci impetrarunt, atque in exceptionibus ipsis legitime faciendis, eum, quem dialectici de omni enunciatione restrictiua praecipunt, serues modum, ut ne exceptionibus forte regulam euertas totam, sed in rebus exceptis quoque saluam putes, nisi quatenus sublatam aut circumscriptam esse legitimo modo adpareat. Atque hac ratione probandum, quod obscure licet ac barbare, sed vere tamen praecipitur in Obsf. de iure eccles. et polit. ciuit. imp. p. 31 sq. *verba taxatiua in l. P. pro vniuersaliter excludentibus non habenda, nisi sensus aliter haberi non possit, utcumque regula exemplis parum videatur conuenire.*

Ceterum ex his omnibus (neque enim plura lubet addere) oppido adparet, optimum et certissimum intelligendae et interpretandae pacis esse genus, quod ex ea ipsa repetatur. Nam hoc quidem dubio caret, quod ab ipsis aliquando Catholicis et Euangelicis in *der Saml. der Schrift. von der Selbsthülfe* p. 1. sq. velut fundamenti loco positum est,

A 3

diuersa




diuersa pacis capita, vnde, tamquam ex aeternis legibus et perpetuis normis iudicandi, decernendum sit, ita intelligi atque explicari debere, vt primum nihil repugnet, sed omnia inter se conspirent, deinde vero etiam vani et otiosi sit nihil, sed vim et efficacitatem omnia habeant. Equidem non dubito multos futuros, qui hoc per se intelligi, neque adeo praecipione vlla opus habere putent. Ast inspiciat mihi modo aliquis scriptores iuris publici aut libellorum, qui publice subinde edi solent, iudicetque de modo interpretandae pacis, quem plerique solent tenere. Sane aut turpissime fallor, aut centies siue per oscitantiam, siue de consilio eiusmodi interpretamenta pacis in medium prolata animaduertet, quae binis illis regulis planissime atque omni ex parte aduersentur.

Quod quo magis constet, adiciam exempla aliquot huius generis interpretationum, non conquisita illa nimis, aut multiplicem forte lectionem ostentantia, sed prout quodque inter scribendum menti occurrerit, et sine cuiusquam inuidia aut commemoratione. Ostendat mihi igitur aliquis, quomodo sola perpetuitas constare paci possit, si quaecumque Art. V. §. 30. sq. de securitate ciuium statuta sunt, ad eos vnos coeperis redigere, qui ipsius iam pacificationis tempore communium sacrorum vinculis cum dominis coniuncti fuerint. Grauis sane, et quam hoc loco prae aliis omnibus, quae de perpetuitate pacis disputata sunt, repetere non dubito, vox est Evangelicorum apud *SCHAVROTHIUM* To. III. p. 281. *der Westphaelische Friede ist ein perpetuirliches Gesetz, welches zwischen der gegenwaertigen oder zukünftigen Zeit und Zustand des Reichs, seiner natürlichen Eigenschaft nach, keinen Unterscheid machen kann, und in ecclesiastis*

sticis nicht weniger als in politicis die immerwährende unverbrüchliche Norm mit sich führt. Tum fac illud exercuit, quod de iure primariarum precum Imperatorio in fundationibus mediatis Art. V. §. 26. occurrit, ob discontinuitatem iuris de mera facultate exercendi capiendum esse, quod mul-
 ti, vii v. c. To. LI. der STAATSC. p. 160. sqq. arbitran-
 tur: quare tandem, cuius bono, ut alia omnia ex ipsis ac-
 tis-pacificationis et similitudine aliorum locorum nunc non
 amplius vrgeam, aut cum SCHMITTIO in *Instit. iur. eccl.* lib.
 III. p. 488. sqq. propriae vocis significationi insistam, hic
 loci adiectum dixeris Kalendarum Ianuariarum terminum,
 cuius in immediatis Art. V. §. 18. nulla mentio? Ac ne quis
 dicat, haec in libellis forensibus tantum ita perhiberi, pro-
 ducam Auctorem Obsf. de *iur. eccles. et polit. ciuit. Imp.* qui-
 cumque ille demum fuerit, cui quidem p. 32. *lepide ar-*
gumentatur, qui circa introitum Articuli de Grauiamibus ec-
clesiasticis eiusque terminum decretorium regula iuris commu-
nis, quod praefatio influat in conclusiones, et quod interpre-
tatio ex toto contextu facienda, vti velit. Atqui quasdam
 quasi ille leges interpretandae pacis scribere instituit, estque
 profecto egregia rerum cognitione instructus. Sed hac in
 re quidem abusus est ingenio, falsisque rationibus a vero se
 abduci passus est. Nam quod capita pacis non sunt scripta v-
 no eodemque tempore, aut vno auctore, sed paullatim et
 successu temporis in praesentem formam coaluerunt, diuer-
 sosque scriptores habuere, id profecto efficere non potest,
 ut quaedam quasi scopae dissolutae iudicandae sint, quibus-
 cum pro arbitrio agere queas.

Ego quidem auctor fuerim suasorque interpreti, ut
 HOFMANNI exemplo in Serie rerr. per Germ. gest. p. 49.
 sqq.



sq. cutem quasi et carnem formulae pacis detrahat, partesque singulas denudatas et dissolutas in tabellas redigat. E quidem non amo magnopere praeclaram illam tabellarum rationem, quae cum aliis eius generis lautitiis omnem facile elegantiam ingenii et doctrinae extinguere potest: neque ignoro in condendis legibus pangendisque pactis publicis obscuram ac seruillem diligentiam hautquaquam adhiberi, sed prout collubitum sit auctoribus, ve plurimum digeri capita et disponi. Enimvero legatos ad hanc pacem certum quemdam ordinem in collocandis diuersis capitibus secutos adparet, adeo quippe pro consuetudine tempestatis suae rationi scholasticae adfuetos, vt multis posthaec delicatulum, qui scilicet elegantiores sibi viderentur, (corpore et artibus, an ingenio doctrinaque, non definiuerim) risum ea re mouerent. Facta enim (Art. I.) amicitia, cautum ante omnia de restitutione, et primum quidem ex capite amnestiae sic, vt constituta (Art. II. et III.) generali regula singulares quaedam causae (Art. IV.) explicarentur. Ventum inde ad alterum restitutionis genus ex capite grauaminum, sumtoque ab ecclesiasticis initio (Art. V. et VII.) Transactionis Passauiensis Pacisque religiosae instauratio, correctio, explicatio, et amplificatio hunc in modum facta, vt, cum ad rem iudicariam descendendum ibi quammaxime esset, per modum capituli cuiusdam transfiliensis (Art. VI.) de autonomia Heluetiorum statuerent. Post conuersis ad grauamina politica legatis, iura Ordinum (Art. VIII. et IX.) confirmata, ac restituta adeo in suum quoque locum omnibus, principibus paciscentium aliisque (Art. X.-XV.) satisfactum, cautum denique de executione (Art. XVI.) et perpetuitate (Art. XVII.) pacis. His igitur quinque capitibus, quibus ipsi quondam

quondam Sueci To. II. ACT. PAC. p. 184. sqq. vniuersum
ineundae compositionis negotium contineri perhibuerunt,
interpret totius formulae, si immensum quidem audeat subire
opus, commentarium distinguere poterit, ne per deuia et
molestias notularum et animaduersionum lectores circumdu-
cat, sed quod in explicanda Aurea Bulla OLENSCHLAGE-
RVS Vir Perill. mira arte praestitit, perpetua oratione tabu-
las interpretetur.

Atenim ea res multo adhuc maius commodum habitura
videtur, proderitque interpreti etiam tum ad rectum acto-
rum usum, quod ex sequentibus planius fiet, tum inprimis
ad perspicendum, quid proprie condenda illa pace actum
fuerit, cuius rei absolutissima intelligentia dici non potest,
quam in interpretando, omnique re ciuili et ecclesiastica im-
perii recte aestimanda semper opus sit. Nempe, vt ab illa
exordiar, non tam hoc egerunt pacificatores, vt, quod vn-
bratiles quidam homines amore ac studio eiusmodi quaestio-
num, ipso CARRACHIO ad Hippolithum a Lapide To. I. p.
79. iudice, sine causa perhibere ausi sunt, formam et discipli-
nam ciuitatis conuerterent, quam potius, vt sedatis turbis do-
mesticis rempublicam in pristinum restituerent locum, subla-
tisque odiorum et diffidentiae causis ad mutuam omnes beni-
uolentiam et gratiam conciliarent, efficerentque adeo, vt pa-
catis rebus animisque omnes in posterum aequali ciuitatis iu-
re fruerentur. Vnde grauiter apud SCHAYROTHIVM To.
III. p. 326. Evangelici: *man hat den Frieden errichtet, vt
pax esset, et rixae cessarent, vt unicuique sua in tuto essent,*
ac multo adhuc copiosius in ipsa pacificatione To. I. ACT.
PAC. p. 804. sq. *wenn ein erfreulicher unwandelbarer Friede
soll erlanget und befestiget werden, so ist ganz gewijs, das der
aeußerliche*

äußerliche nunmehr in das Deutsche Unwesen eingemischte Krieg von dem innerlichen nicht kann separiret, noch absonderlich hingelegt werden, weil die Ursachen ganz an einander haften und sich nicht aussondern lassen. Deswegen ist beständig der nothwendige Grund des Friedens in Ausrottung des innerlichen Mißtrauens und dessen Ursachen zu suchen, damit nicht, wenn die Wurzel alles bishero erlittenen Uebels bestecken bliebe, dieselbe ueber eine Zeit wieder herfürschlagen und gleichschaedliche Früchte zu Untergang des lieben Vaterlandes bringen moechte, vt ne adiciam, quae *ibid.* p. 807. de scopo pacificationis internae et externae scripserunt.

Efficci sane hoc non potuit sine multiplici mutatione rerum, nec licet negare, quod res ipsa loquitur, ad cisa per hanc pacem multis modis maiestate Imperatoris, eum inde in locum eluclatos esse Ordines, vnde, communicata secum omni fere rerum summa stabilitisque domesticis opibus, gradum saepius cum illo contra prioris temporis statum feliciter conferrent, et quoddam adeo *coimperii* genus vindicare sibi tandem posse viderentur. Ipsi quidem legati ab Augusto ad pangendam illam pacem vt primum condiciones compositionis a Gallis Suecisque latas, vnde deinceps non longe discessum, acceperant, *lectas* ADAMO auctore in *Relat. de pacificatione Olnabrug. c. V. §. 3.* *prima statim fronte ita interpretati sunt, quasi ex iis appareret, exteros non solum omnia pene imperii iura suae cognitioni, directioni ac beneplacito subicere moliri dictatorio plane modo, sed etiam ipsum imperii statum funditus conuellere atque in puram putam praecipitare anarchiam velle, fueruntque, qui Germanos de insidiis publice priuatimque grauisimis verbis admonerent, vti in primis proprio libello To. I. des NEGOCIAT. DE MVNSTER p. 262. sqq. factum.*

factum. Neque etiam cuiquam harum rerum paullisper tantum intelligenti obscurum esse potest ex ratione et consuetudine ingenii humani, monumentisque rerum gestarum et commentariis pacificantium, quos compilare nunc non iuuat, Suecos Gallosque propriis verius, quam alienis Germaniae commodis inuigilasse, et magnifica licet tuendae libertatis et religionis obiecta specie id vnice in votis et destinatis habuisse, vt neruos potestatis imperatoriae callide inciderent, ampliandaque Ordinum tum vniuersorum tum singulorum auctoritate commune Germaniae ad supinam quamdam inertiam redigerent, quidquid vtpote Imperatoris atque imperii viribus decresceret, id sibi accessurum, nouumque principatus sui fulcrum fore arbitratos. Non dubitauit saltem ipse Saluius palam hoc atque legatis augustalibus Volmaro auctore apud *CORTREIVM* in Corp. Iuris publ. To. II. p. 234. sq. quasi in os dicere: *waeren alle Fürsten aus dem Hause Oesterreich der Milde und Güte zugethan, dabero die benachbarten Reiche Dero imperium wohl gedulten koemnten. Iedoch waere den Cronen gleichwohl daran gelegen, das inskünftige solche Fürsèhung geschehe, damit nicht einer einmal einer so grosen Gewalt mißbrauchen moechte. Das Roemisch-Deutsche Reich waere gleichsam in meditullis anderer Christlichen Koenigreiche und Republicuen gelegen: wann dieses Reich in seinem Aequilibrio verbleibe, so koemnten andere Reiche gleichfalls rubig bestehen und ihrer guten Sicherheit genießten.*

Enimuero quidquid sit huius rei, seruata tamen vtplurimum vetus imperii formula, atque intra eos tantum maiestas Imperatoris redacta cancellos, quos aut auita ciuitatis Germanicae indoles, aut probata tandem aequalitas sacrorum



ad praecludendas novas turbas, et perpetuitatem reipublicae conciliandam velut ipsae constituerent. Qua de re sufficiat iudicium incerti cuiusdam auctoris; quicumque demum ille fuerit, ex Actis pacificationis To. II. p. 91. adscribere: *in Summa* das̄s̄ vermittelt̄ dieses̄ Friedens̄ und̄ Universal-Amnestiē forderst̄ diē Roemisch̄ Kayserlichē Maiestaet̄, unser̄ allergnaedigster̄ Herr, in̄ Derō hohen̄ kayserlichen̄ Thron̄ und̄ Gewalt, doch̄ in̄ den̄ Schranken̄ der̄ kayserlichen̄ Wahlcapitulation, Guldenen̄ Bullē und̄ Grundgesetzē des̄ Reichs, bestaetiget, von Chur Fürsten und Staenden, für das̄ einigē Oberhaupt venerirt, Churfürsten und Staende bey ihrer Praeeminenz, Dignitaet und Libertaēt gelassen und also dem Heiligen Roemischen Reich und Deutscher Nation seine ruhige Freyheit, Ehr und Zierde mit ruhiger schoenen Harmonie wiederbracht, und alles wieder in den Stand, wie es sich Anno 1618. in statu tam ecclesiastico quam politico vor entstandener Boehmischen Unruhe trefflich wohl befunden, gesetzt, und dabey bestaendig und in perpetuum erhalten werde. Atque hunc in modum etiam conuenit. Etenim ne commemorem antiquas consuetudines, quae I. P. Art. VIII. §. 4. religiose seruari iubet, ipsa illa aequalitas sacrorum aliter impetrari non potuit, quam quatenus formae reipublicae esset consentanea. Quo verbo licet lubenter credam, non significari Aristotelicam aliquam imperii formam, ab animo tamen meo impetrare nulla ratione possum, vt cum MAIERO V. c. To. I. des̄ Geistl̄ T. Staatsv. p. 239 sq. solum Collegium Electorale designari putem, sed vniuersam potius ciuitatis disciplinam et constitutionem intelligo, idque vt existimem, praeter alia omnia facit ille ipse, cuius auctoritate vitur, ADAMVS in Relat. hist. de pacif. Osnabrugensi p. 433. sq.

Quidquid

Quidquid sit huius rei, Ordinibus, si a re sacra disces-
 feris, caue putes multum admodum noui hac pace tribu-
 tum. Equidem quam longissime absum ab eorum consue-
 tudine et opinione, qui praeteriti temporis disciplinam ex
 praesenti rerum statu meriantur, atque adeo, vbi res ex mo-
 numentis historiarum et opinionibus cuiusque aetatis erat aesti-
 manda, ex recentioris aevi philosophia suspensas rationes
 iudicandi habeant. Nam quod in aestimandis rebus multi-
 plicem usum habere potest, permultis iuribus cum potestate
 ciuili licet coniunctissimis Principes nostri diu adhuc post
 exortam superioritatem territorialem aut plane, aut saltem
 absque auctoritate Imperatoris vsi non sunt. Sed ipsi, quam-
 quam ignari, habuerunt ea tamen, nec, quod multis videtur,
 per Pacem Westfalicam demum impetrarunt. Id enim per-
 scrutanti diligenter pacis tabulas vnice actum adparebit, vt,
 quarum illi sibi ipsi antea nondum satis viderentur conscii,
 sed per belli tricennalis demum tumultus intelligentiores
 redditi fuissent virium opumque suarum, eae nouis firma-
 rentur fulcris, et quae antehac vsu potissimum constitissent
 et moribus, nec suam semper in praepotentia Imperatorum
 reique publicae non satis certa constitutione vim habuissent
 iura, ea in plano atque extra dubitationem ponerentur, est-
 que adeo ab Onoldino aliquando *ratio et anima pacis West-
 falicae* apud SCHAVROTHIVM To. I. p. 404. *in securitate
 Statuum* recte collocata.

Qua de re eo minus dubitari potest, quo planius ipsi
 olim Sueci (vere, an falso, nunc non disquiram) ex comme-
 moratione PFANNERI in Historia pacis lib. II. §. 14. *id
 vnicum sibi spectari adfirmarunt, vt sublatis causis, quae tam
 atroci bello dedissent originem, Germania vicinaeque gentes
 certiori*


certiori pace quiescerent. Mansuram alioquin discordiam, ni
 femina belli restinxissent — Electores autem, Boioarum prae-
 fertim atque Saxonem, plusquam ciuilia agitare, id agentes,
 vt ignauo pariter noxiisque silentio ordines transmittant, quae
 mutandae reipublicae parari non obscurum sit. Id scilicet Au-
 striacorum votum esse, vt consentientibus, suaque sponte in-
 seruitium, quod aliis meditentur, ruentibus septemuiris, at-
 que verso ciuitatis statu nihil vsquam prisca et integri moris re-
 maneat, atque omnes exuta aequalitate Caesaris iussa aspecent.
 Summae igitur necessitatis, vt abolitis, quae per temporum in-
 iurias inualuerint, sua reipublicae facies, suaque Ordinibus iu-
 ra reddantur. Similiterque, quamquam diuerso longe consilio
 ac modo, Augustales quoque, tuendae priscae ciuitatis Ger-
 manicae constitutioni intentissimi, ac diu adeo conditiones i-
 stas Suecicas Gallicasque aspernati, placere sibi quidem, quem-
 admodum ab EOD. lib. II. §. 28. proditum, ostenderunt, vt
 munia reipublicae sociatis laboribus in comitiis Imperator pro-
 cedere expedirent, sed saluis tamen iis, quae ad Imperatorem
 atque Electores solos pertinerent, omniaque intelligendo iuxta
 morem ab antiquo in imperio receptum. Cuius cautionis ad-
 iectionem impetrare licet non possent, Suecis adeo, quem-
 admodum PFANNERVS lib. II. §. 58. et ADAMVS c. IX.
 §. 4. p. 176. ex ipsis protocollis To. II. ACT. PAC. p. 195.
 regulerunt, minutum illud, atque ex interpretatione Au-
 gustalium apud GAERTNERVM To. VIII. der W. F. Canz-
 ley p. 102. sq. innocens fere moris ab antiquo recepti voca-
 bulum acriter carpentibus, et Tiberiani quidquam subesse
 dictitantibus: id tamen maiestate Imperatorem nequaquam
 exiit, nec, quod adsentatores Principum, quorum hoc no-
 strum seculum inprimis est ferax, haut obscure iactant, sum-
 mam



mam rerum ad Ordines, aut singulos illos, aut vniuersos, mutato ciuitatis statu transtulit, sed, quod ex natura rei, et consilio pacificantium per se planum videbatur, omissum fuit. Quod nescio, an aliumde euidentius cognosci possit, quam ex verbis Euangelicorum To. I. ACT. PAC. p. 813. *und wird billig alles iuxta morem ab antiquo in imperio legitime receptum et eius constitutionibus conformem verstanden.*

Tenendum igitur interpreti pacis Westfalicae erit firmiter et memoriae velut insigendum, quod supra de seruata imperii formula finibusque potestatis imperatoriae praecepi, aut Euangelici quondam (licebit enim, quod de specie ii intellexerunt, de genere vniuerso capere) apud SCHAVROTHIVM To. II. p. 443. scripserunt: *das instrumentum pacis prospiciret nicht allein der Staende, sondern auch der Unterthanen Sicherheit.* Per hanc enim rationem, modo fit aequabili animo, et quemadmodum decet interpretem sanctissimae legis, ab omni partium studio alienus, primum non audebit quidem superioritatem territorialem Ordinum vlllo modo conuellere, sed quae ipsa pacis sanctione munitissima sunt, ea illis iura domi inter suos integra et illibata seruari curabit. Nec vicissim tamen vim facere conabitur iuribus Imperatoris, aut iis illos eximere vinculis, quibus in summa licet amplitudine sua, tamquam qui ciues sint vnus rei publicae, per leges morefque maiorum Imperatori et imperio obligentur, ac non modo in pacificatione, repudiato solo To. IV. ACT. PAC. p. 48. 74. *mere subditorum* aut *homagii* (*Huldigung*) nomine, ipsi se centies ingenue facti sint reneri, sed ipsa quoque pacis sanctione Art. V. §. 21. et Art. VIII. §. 2. denuo colligati fuerint. Qua moderatione eo profecto magis interpreti est opus, quo facilius vniuerse quidem





dem constitui potest, ut ne quis Ordinum potestate sua adversus commune imperii pro commodo arbitrataque suo abutatur, aut opes, famam, vitam, corpora denique et animos civium inuadat, posthaec vero, cum ad causas singulares descenditur, grauioribus semper dubitationibus litisque incidere solent, vtrum id, de quo tibi iudicandum, sit ex eo genere, necne.

Sed deinde etiam in constituendis causis iuribusque Ordinum comitialibus iustum tenebit modum, neque ad consensum eorum Imperatorem adligabit, nisi cum aut leges, earumque vel verba vel causas et rationes, aut analogia iuris publici, aut mores denique id desiderent. Hanc enim regulam, quam quidem ipsam multiplices noui lites gignere, ipsa velut recta ratio et natura potestatis ciuili in Imperatorem collatae constituere videtur, ut, cuius iuris nulla adpareat coarctatio, eo Imperator pro arbitratu boni Principis, quemadmodum collubitum sit, vti queat, eique adeo, qui imminutam aliqua parte maiestatem eius contendat, huius rei, si de hac quidem non constet, argumenta adferenda sint. Quare etiam cum Evangelici, alienissimi ceteroquin a perfecta aliqua omnibusque numeris absoluta communione imperii inter Caesarem et Ordines constituenda, in pacificatione To. I. ACT. PAC. p. 731. et p. 813. scripsissent: *Fürsten und Staende seynd erbietig und willig der Roemisch Kayserlichen Majestaet, als ibrem allerhoechstgehortem Oberhaupt, alle Ehre, Respeect und gebührenden Geborsam zu erweisen, seynd auch gar nicht gemeinet, deroeselben einiger mafen zu nahe zu treten, und in dem zu beeintraechtigen, was Ihrer Majestaet vermoeg der Reichsatzungen allein gebührt, und als summo Principi reserviret, es würde aber un-*
zweifelt

gezweifelt zu Verhütung künftiger Irrung hochdienlich seyn, wann die Deutsche Kayserliche Majestaet allergnaedigst belieben wollten, die kayserliche *reservata und propria iura* zu designiren, recte Augustales, et qui cum iis facerent, Imperatorem To. II. ACT. PAC. p. 93. sq. negarunt obstrictum esse ad conficiendos edendisque hos tales indices *reservatorum*, atque Oxenstiernae inprimis To. III. p. 191. responderunt: die *specificatio reservatorum* waere unnoethig, weil solches alles bereits in der gülden Bull und den Reichconstitutionen determinet sey, und waere potestas Imperatoris überhaupt generalis, und erstrecke sich auf alles, was nicht vel per pacta, vel per leges restringirt sey.

Verum ne diutius immorer huic quaestioni, quae hic loci attingenda tantum fuit, alia adhuc in hoc genere caussarum interpreti est adhibenda cautio. Nempe sunt quidem Imperatori Ordines de rebus imperii gravissimis ex praescripto I.P. Art. VIII. §. 2. atque ex ipsa adeo *reipublicae forma*, vi Evangelici To. I. der KRIEGSCANZLEY de An. 1606. p. 985. 1009 censuerunt, in Comitibus rogandi sententias. Quod si velis *coimperium* Ordinum vocare, equidem non repugno, at tueri tamen vocem ex Capitularibus Francorum cum SELCHOVIO V. A. in Elem. iur. publ. To. I. p. 193. vix ausim. Certe ut ne repetam, quae BERGERVS in Animad. ad Cocceii iurisp. publ. p. 110. sq. de hoc loco commentatus est, pacti Confluentini tempore verba nondum subtiliter aestimare didicerant. Quidquid sit, interpreti ante omnia intra eos res cancellos cohibenda est, ut ex hac pace Ordines uniuersos potius, quam singulos in consortium imperii gerendi vocet, nec sine causa adeo, et iuris rei que aliqua necessitate consensionem singulorum locis alienis cum insi-

C

gui



gni damno reipublicae totius efflagitet. Suo enim modo verissimum est iudicium BEVLWITII Viri Perill. de *nimia extensione iurium singularium* §. 23. aut quod Catholici quondam PFANNERO auctore in Hist. Pac. lib. III. §. 1. p. 213. censuerunt: *vt in consultationibus publicis pauciorum placitis plurimum suffragia praeualeant, gentium consensu, Germaniae legibus, ipsaque salutis publicae expediundae necessitate monstrari, cum in contrarias opiniones scissis nihil restet, quam vt pauciores pluribus cedant. Hoc vno stare populorum imperia, sua mole ruitura, nisi aequali suffragantium conditione maiorem numerum minor sequatur.*

Iam ab hac regula, quae ex plerorumque suffragiis in imperio decerni iubet, Art. V. §. 52. haut mediocris quidem, sed tantum tamen, quemadmodum ipsi rei auctores in pacificatione To. II. ACT. PAC. p. 254. dicere solebant, exceptio facta est. Vnde interpreti in explicando illo loco studiose recordandum est eorum, quae Euangelici anno quondam 1515. quo tempore constat licem de pluralitate votorum quammaxime flagrauisse, apud LONDORPVM To. I. ACT. Publ. p. 18. in Comitiiis Ratisbonensibus scripserunt: *Eure Kayf. Majestaet wollen unserer Herrschaffen und Oberrn Beschwörung der maiorum halber dahin nicht aufnehmen, noch verstehen, als wann dieselben sogar in allen Sachen und Handlungen ohne Unterscheid solche nicht gelten lassen koennten, sondern kann man dieselben in consiliis sanis, und da kein Interesse und passiones mit unterlaufen, wohl passiren lassen; das man aber die maiora ohne Unterscheid, in allen und jeden, auch die Religion, freywillige Contributiones, der Staendt Libertæet betreffend, und dergleichen Sachen anitzo behaupten und durchdringen will, dasselbe verurrsachet unserer Herrschafft und*

und Oberrn nicht unbillig ungleiches Nachdenken, cauendum- que adeo ea in re a duplici vicio, in quod quam plurimi, suis quemque ferentibus studiis, incurrere solent, ne nimium ad decernendum momenti tribuat multitudini suffragantium, aut vicissim etiam fines numerumque causarum, de quibus ex sententia maioris partis constitui nequeat, iusto magis explicando ampliet, sed contineat se intra septa ipsius legis, ex qua, vel sic facili ad abusum transitu, in causis religionis, omnibusque aliis negotiis, ubi Status tamquam vnum corpus considerari nequeunt, vt etiam Catholicis et A. C. Statibus in duas partes euntibus, sola amicabile compositio lites dirimat, non attenda votorum pluralitate.


Quem locum tot tantisque semper litibus celebratissimum etsi post insignia hominum doctissimorum studia longa nunc et copiosa disputatione nec iuuat explanare, nec licet, eum tamen si quis vel obiter intueatur, nescio profecto, annon, quod solet alias verae interpretationis signum esse, de triplici statim exceptione in mentem ei venturum sit, vt mirer profecto, quomodo acutissimi ceteroquin viri, repudiata facili, et quae vltro quasi se legentibus offerret, loci interpretatione, in qua et plerique Euangelicorum, et vero etiam ex Catholicis permulti, in quibus magna sunt BARTHELII To. I. Opusc. p. 442. sqq. ac RIEGGERI in Inst. iuri/pr. eccles. Part. I. §. 522. nomina, adquiescere non dubitarunt, ad quoddam quasi spinetum explicationis delabi atque ad solas religionis causas redigere omnia potuerint. Nam etsi in explanandis verbis opus est quammaxime actis et commentariis legatorum, debet tamen, quemadmodum in sequenti dicitur, ea res modum habere, ne, cum verba plana sunt, et quod de hoc loco, si liberaliter res agitur, negari nullo modo



modo potest, litteralem interpretationem recipiunt, protocol-
 la anxie anquiras, an reperiis forte aliquid, quod aliam,
 multo licet difficiliorem illam, explicationem fundare videat-
 ur. Nam si haec ratio valeat, haut difficile fuerit, omnem
 paulatim pacis vim euertere, non facile quippe defutura ti-
 bi copia extricandi nonnihil ex protocollis suffragiisque le-
 gatorum, non satis ubique subtiliter loquentium aut scriben-
 tium, vnde alium plane sensum verborum constituas, quam
 quem mos et vsus loquendi ostendit. At enim hic loci adeo,
 si opus quidem fuerit, ex ipsis actis pacificationis triplex il-
 la exceptio facile confirmari possit, loco satis noto **TO I^{ACT.}**
PAC. p. 724. qui licet totus haut relatus fuerit in ipsas tabu-
 las, de religione tamen sola nequaquam actum fuisse docet.
 Nec dubitauerim vero cum **ONOLDINO** apud **SCHAVROTHIVM**
To. I. p. 405. locum dicere planissimum, neque vllius pro-
 fus interpretationis egentem, ipsis scilicet voculis: *que et vt*
etiam, quibus pacificatores vsi sunt, ita comparatis, vt tres
 diuersas res manifesto disungere videantur. Sane sunt caus-
 sae, quare cum **ECKHARDO** forte, insignis viro perspicaci-
 tatis omnifque iuris interpretandi sine vlla dubitatione callen-
 tissimo, in **Hermen. iur. lib. II. §. 86.** illud: *que*, quod ver-
 bo: *omnibus* adiectum, explanare potius, quam disungere
 tibi videri possit. Sed alio plane sensu, nempe si rem refer-
 ras ad causas tributorum, quas quidem ille, quod nunc non
 disputo, sub integumento *negotiorum, vbi Status tanquam*
vnium corpus considerari nequeant, ob ipsum illum Actorum
 pacis locum, quem modo excitaui, maxime latitare arbitra-
 batur. Ast ad religionem illud referre, hoc manifestae foret
 tautologiae, quam eo minus legatos admisisse probabile est,
 quo magis alio iam loco per occasionem causae Augustanae
 Art.

Art. V. §. 9. idem de religione statuerant. Equidem, si quis tres diuerfas res enunciare, enunciandoque seiungere velit, non video, qui tandem aliter id fieri possit, recteque adeo et summo iure Euangelicos in *Sacra Libertatis Anchora* apud SCHAVROTHIUM To. II. p. 45. ad communem hominum sensum hac in re prouocasse arbitror. Vt res habet, rectissime Catholici per occasionem litis Zwingenbergicae in suffragio communi, quod in hac quaestione potissimum est memorabile, apud SCHAVROTHIUM To. II. p. 912. scripserunt: *In instrumeto pacis Art. V. §. 52. haben die paciscentes nur exceptiones a regula: quod maiora concludant, statuiren, und dadurch den abusum maiorum votorum in praeiudicium derer Herren Augspurgischen Confessions-Verwandten aufheben wollen, welche exceptiones aber nicht dergestalt auszubreiten, vt ipsa regula absorbeat, dieses waere eine Absurditaet in iure, vwan die exceptiones regulam ipsam gantz absorbirten.*

Needum vero hoc sufficit, sed est porro etiam interpreti auctoritas Caesaris et Ordinum aequa lance ita in comitiis diuidenda, vt neutra praeponderet. Nam modo recte explicetur, verissima est, explanata illa haut ita pridem a REINHARDO quodam, veterum iurisperitorum de semisse comitiorum sententia, quam multi recentiorum, vt mos fert seculi, inprimis in celebratissima illa causa Erbmannorum Monasteriensium To. II. ELECT. IVR. PVBL. p. 253. sqq. tamquam insanae mentis aliquod somnium irridere coeperunt. Vt cumque igitur suffragiis Ordinum ad imperium gerendum est opus, neque his adeo eam, quam inueterata Germania consuetudo, et continuus vsus, legumque plurimarum constans auctoritas, atque ipsa societatis ciuilibus natura et indoles tribuere iis videtur, iuris pacto inter se condendi potestatem



statem vilo modo adimere licet, tamen, cum aequalem Imperator atque Ordines in comitiis sustineant personam, illum caue ex illa pacis Westfalicae sanctione contra praecepta iuris omnis, et auctoritatem imprimis ipsius Capitulationis Art. XII. §. 7. et Art. XIII. §. 5. necessitate aliqua restringas rata auctoritate sua habendi, quae ab his visa sint, aut hos sine illo ius aliquod vniuersum, et quo ipse ille teneatur, facere posse arbitraris, sed sui illum in his rebus atque hic loci iuris et arbitrii esse cogites, potestatemque illius rata habendi decreta Ordinum intra fines quidem legitimos cohibeas, ceterum totum ne tollas. Ipsi quidem Principes in pacificatione, cum Electores aliquando simpliciter pro concluso imperii habendum esse censuissent, quod a Principibus et Ordinibus decretum foret, *To. II. ACT. PAC. p. 590. 592.* ita rem definiendam putarunt: *dass, was von Fürsten und Staenden geschlossen, und von Ihrer Kayserlichen Majestaet placidiret, die Krafft eines Reichsschlusses haben, oder vor einen gemeinen Reichsschluss zu halten seyn solle.* Ac vicissim etiam hoc Imperator sumere sibi nequit, vt necessitatem aliquam Ordinibus suffragandi sibi imponat, aut orta inter diuersa corpora et collegia sententiarum diuortia vi et auctoritate sua ac iure quodam proprio tollat. Nam ne tum quidem, cum vnum et alterum Ordinum collegium tertio solo dissentiente in vna eademque re secum conspirant, quidquid etiam hac in causa vulgo secus solet statui aut in ipsa adeo pacificatione, vti apud GAERTNERVM *To. VII. der W. F. Canzley p. 101.* reperio, secus aliquando statutum fuit, propter aequalitatem collegiorum, qua omnis pluralitas votorum excluditur, pro se solus, ac sine bona omnium Ordinum pace et voluntate, applicando sese ad binorum collegiorum sententiam

tiam, efficere vilo modo potest, vt tertio in reliquorum sententiam necessario transeundum sit.

Iam erunt fortasse, quibus iusto copiosior haec de re esse videar, atque ipse latius excurrissè animaduerto orationem, quam initio constitueram. Sed pertinent haec ad intelligendas causas legis, perspicendumue, quod vulgo vocant, pacis legis ingenium. Neque etiam praeterea abhorrentem arbitror a praeceptione de interpretanda pace Westfalica hanc talem disputationem hoc inprimis tempore, quo occultis alii ex sanctissimo huius pacis foedere cuniculis duccendis omne fere communis ciuitatis aedificium labefactis fundamentis euertere, alii aperta inde tela aduersus vnitatem reipublicae, maiestatemque Imperatoris, sine qua res nostra salua esse non potest, expromere, pars denique, contrariis plane studiis et animis, ita non raro tabulas interpretari soleant, vt prostratas hac pace opes Imperatoris quouis modo et summa licet iactura Ordinum rursus erigere velle, ac ne verba quidem semper, nedum, vt decet, causas et rationes legis spectare videantur. Quarum opinionum licentia, quae ex scholarum vmbra et priuatorum hominum cancellis in foris deinceps et luce aularum late regnat, vt modum reperiat, optimi publici causa perquam optabile est, ita quippe colligata totius imperii nostri compage, vt vna parte adfecta reliquae quoque pessime adficiantur, atque ita confectis primum singulis partibus vniuersum tandem corpus lenta tabe consumatur.

Sed quae in ciuili Germaniae constitutione recte aestimanda requiritur intelligentia consilii, quod pacificatores secuti sint, eadem, si verum ingenue fatendum, multo adhuc magis videtur opus in disciplina ecclesiastica explanandoque
Art.

Art. V. in quo viri docti publice privatimque tam mirifice variant. Cuius rei etsi multae sunt ac diuersae causae singulatim nunc et longo ordine non enumerandae, nescio tamen, an magnopere fallar, si pleraeque eo tandem redire dixerō, vt aut plane consiliorum rudes interpretes, atque a vero pacificantium proposito ad aliena delapsi, aut, si verum quidem viderint, eius tamen non expeditam satis, planam, et nulla re implicatam notitiam habere videantur.

Itaque inter explicandum interpres semper defigat animum et cogitationes in ipsa aeternae legis sanctione Art. V. §. 1. *inter vtriusque religionis Electores, Principes, Status omnes et singulos sit aequalitas exacta mutuaque, quatenus formae reipublicae, constitutionibus imperii, et praesenti conventioni conformis est, ita, vt, quod vni parti iustum est, alteri quoque sit iustum, violentia omni et via facti, vt alias, ita et hic, inter vtramque partem perpetuo prohibita.* Qui locus si cum Art. V. §. 35. coniungatur, complectitur profecto principia iuris omnis, quod reliquis deinde capitibus de religione rebusque ecclesiasticis constitutum fuit. Intuenti quippe sola sanctionis verba, vt ne quid dicatur de aetis et commentariis legatorum, in hoc summam omnium consiliorum causarumque colligatam adparebit, vt vtrique primum religioni pax et tranquillitas contingeret, ac Deum adeo, viro quisque modo vellet, tuto ac secure sine omnium aliorum impetu coleret, parque dein omnium esset existimatio, et quo certius tandem haec consequerentur perpetuitatem, aequali omnes ac pari, suo quidem modo, ciuitatis imperiique iure vterentur. Neque enim adfentiri possum RIEFELIO V. C. qui quemadmodum alias saepius, ita hic inprimis ingenio indulget suo, ac Part. I. *der krit. Betracht. über*

über verschied. Staatsfr. p. 20. in hoc vno omnem vim aequalitatis positam contendit, vt sine vlllo sacrorum discrimine inter omnes ius aequaliter dicatur. Quod quamquam per se verum est, nequaquam tamen rem exhaurit. Sed nolo nunc longam hac de re disputationem ingredi, de qua alio tempore ex instituto commentandi erit occasio.

Quod si igitur, vt progrediar, adcurate teneantur, quae dixi, facile iudicari poterit de opinione BANNIZAE, qui in libello de subsidiis interpretationis doctrinalis pacis religiosae et Westfalicae p. 9. ad interpretationem huius pacis *solidam* inprimis *iuris canonici scientiam et genuinum de religione conceptum* planis verbis efflagitat. Sane rudis et ignarus iuris canonici interpret pacis Westfalicae esse non debet, sine quo multa, de quibus transactum fuit, intelligi nequeant. Sed quo constet demum, quid et quomodo de illis rebus conuenierit, ad hoc vereor, vt obfutura potius sint, quam profutura interpreti iuris canonici praecepta, miris illa modis abhorrentia ab hac transactione, contra cuius neque articulum vllum, neque clausulam vllam ex ipsius pacis grauissima sanctione Art. XVII. §. 3. vlla vmquam iura canonica, vel ciuilia adlegare, audire aut admittere licet. Tum vero, vtut summam omnes pietatis curam gerere, animumque doctrinis sacrorum inprimis ad vsum vitae bene imbuere debent, tamen, quid hic loci, atque ad rectam, probam et liberalem pactorum explicationem scholae tibi theologicae doctrinaeque sacrorum profuturae sint, ego profecto haut intelligo.

Nam hoc quidem pacificatores non existimandi sunt e-
gisse, vt de ipsa religionum diuersitate et discrepanti sacrorum doctrina theologorum instar decernerent, quorum permultis adeo per praecepta sacrorum, quibus dediti essent,

D

tale

tale quid ne liceret quidem sibi sumere. BARTHELIVS qui-
 dem ad hanc quaestionem delatus To. I. Opusc. p. 29. *certum*
est, inquit, *quod principes neuiquam sibi auctoritatem sumse-*
runt de fidei, religionis et disciplinae ecclesiasticae quaestionibus
dogmaticae decernendi, quod laeicis Principibus, qui oves sunt,
non pastores, non licere optime norant, eundemque plane
in modum etiam alii quam plurimi Catholicorum, RAVTEN-
STRAYCHIVS inprimis in Instit. Iur. eccles. §. 144. et WOLE-
GANGVVS SCHMITTIVS in Instit. Iur. eccles. profecto non
contemnendis lib. I. p. 288. hac de re iudicant. Itaque theo-
logos legati res suas sibi habere iusserunt, sepositaque omni
de theologia ac veritate sententiarum diuersarum de re-
bus diuinis quaestione id vnum in destinatis habuerunt, vt,
si verbis FORSTNERI in Epistolis p. 15. rem enunciare li-
cet, omnes trium religionum adhaec in communionem se-
curitatis publicae admitterentur. Admonuit hoc ac vehe-
menter inculcavit idem BARTHELIVS loco, quem dixi,
p. 23. his verbis: Pax Religiosa non de concordanda Fide, aut
negotii Religionis controuersis dogmaticae aut theologicae deci-
dendis, sed de libertate diuersarum religionum permittenda
constanter agit ex eo fine, ne dissidentes in fide armis desuper
alterius corruant, sed tranquillitatem publicam teneant et con-
seruent, siue quod idem est, ne diuersitas religionum, et dis-
senfus animorum circa fidem, quae donum Dei ac lumen est,
et in libero arbitrio et mere in libertate versatur, impedimen-
to porro esset, quo minus Status et Cives Imperii pacem exter-
nam et politicam inuicem habeant, colant, et ad felicitatem tem-
poralem, tranquillitatem vniuersam et salutem ciuilem ac inter-
nam Imperii obtinendam, atque conseruandam mutuis auxili-
is conspirent, vniuersis animis ac viribus collaborent. Quod qui-
 dem

dem consilium licet fere nesciam, an euentum aut habuerit, aut per naturam adeo ingenii humani habere vnquam possit, (suo enim modo verissimum est Trautmansdorffii To. IV. ACT. PAC. p. 62. sq. iudicium, estque feracissima discordiarum mater diuersitas sacrarum.) non dubito tamen mea quodammodo facere verba DECKHERRI in exordio lib. I. Conf. forr. ciuilis est pax Westfalica ac mere politica Nihil enim de Articulis fidei actum, nihil pronunciatum. Rempublicam in casum datum reuocaturi a fatali irruente interitu Pacificatores conuere, ea, de quibus conuentum, publicauit ciuibus Caesaris Maestas, de dissidiis et opinionibus theologorum, modo huius, modo illius, modo et tertiae, vel si quae plures, factionis pronunciatura diuina.

Quod si vero haec ita habent, per se corrui dubitatio, cuius mentionem sine causa fere EBERHARDVS To. I. der Beytraege zu den T. Rechten p. 132. iniecit, ac si sublato metu inter quem pax inita fuerit, vi et validitate omnia destituantur, quod de salute animorum agatur, quibus fraus fieri nequeat. Tenendum porius est, atque ex superioribus studiose reperendum, quod pluribus adeo locis I. P. v. c. Art. V. §. 1. 31. 48. diferte est cautum, atque ab Evangelicis inprimis To. XXXIX. der STAATSC. p. 454. grauius admonitum, aeternam esse pacis legem, cui tamdiu vis constare debeat sua, donec de diuersa sacrorum doctrina compositio haberi possit. Inest igitur legi quidem celebratissima illa clausula: *rebus sic stantibus*, sed ita tamen, vt, si praecepta KOPPII, Viri summi, in Disp. de clausula rebus sic stantibus c. I. §. 44. huc transferre licuerit, cum statu doctrinae coniuncta sit, atque hoc demum de consensu vtriusque partis, h. e. Catholicorum et Protestantium, mutato ipsa vicissim

vicissim mutari videatur. Interea dum haec expectantur, ex superiore disputatione adparet, pacem pertinere ad omnes ac singulos Germaniae ciues, calumniatosque esse, qui recenti memoria id negare auderent, repressos illos fortiter inprimis a STRVBENIO, venerando Sene, in controuersia Kraufiana, quam redintegrare nunc non lubet.

Interpres quidem pacis, si formulam adcurate legerit, facile hoc poterit demonstrare ex causis, argumento, prooemioque pacti, omninoque ex attenta pactorum lectione hunc etiam habebit fructum, vt, quinam proprie illa pace inter se fuerint pacti, adcurate discernat. Quod ne quis inutile arbitretur, multis modis interpretanti proderit, efficietque primum, ne contra consilium pacifcentium eo pacem detorqueat, vt inter se quoque eorundem sacrorum consortes hac formula teneri contendat. Accidit hoc multis, nouique inter alios, qui verba I. P. Art. V. §. 48. *inter ipsos solos A. C. Status* magna voce ita explicaret, vt ne Consistoriis quidem suis Ordines Euangelicos subesse diceret, atque hoc velut interpretamento adeo sibi placeret, vt ad excipiendum bellissimum ingenii foetum auditores late cogeret. Egregie vero atque adprime ex consilio pacifcentium, qui scilicet etiam cum suis et velut secum ipsis pacifcerentur. Haec quidem causa est, quare ne REVSCHIO quidem de vsu et praestantia Actor. Pac. p. 11. accedam, qui iurisdictionem praesulum Euangelicorum in territoriis euangelicis hoc loco ait intelligi, sed haec verba pro diuersitate pacifcentium sic interpreter, vt, siue causa inter vtriusque religionis adseclas agatur, siue inter solos Euangelicos, iurisdictionem ecclesiasticam exclusam dicam. Similiterque refelli potest error HENNIGESII in Medit. p. 728. qui Art. V. §. 49. sub finem Episcopis Catholicorum

rum normam praescriptam ait, ex qua vniuerse in ciuitatibus imperii mixtis ius inter suos dicerent. Minime vero hoc congruum est menti paciscentium. Id vnum cautum, ne, dum ius ibi inter suos dicerent, ciuibus Euangelicis contra statum normalem vim facerent. Termini quidem illius normalis aut decretorii vis hic potest esse nulla alia, vt qui constitutus sit tantum inter diuersorum sacrorum adseclas, neque pertineat ad consortes eorundem, nisi cum agatur de rebus, quas huius termini beneficio ab alterius religionis adseclis recuperauerint.

Sed vsus sum hoc exemplo etiam propterea, quoniam alterum adhuc emolumentum genus, quo ex regula superiore interpres potiri poterit, euidenter prodere videtur. Nam vbi singulis interpres locis accurate viderit, quinam inter se pacti fuerint, facile cauebit, ne ab vna parte ad alteram concludat, aut ad diuersa sacrorum genera contra regulas legitimae interpretationis leges compositionis transferat. Nolo exemplum, quod modo attuli, amplius vrgere. Verum nostra aetate haud defuerunt, qui Art. VII. multis abuterentur modis, et quae hoc capite inter binas Protestantium partes in sacris rebusque ad ea pertinentibus constituta legerent, ita inter Catholicos quoque Euangelicosque ius facere contenderent, quasi referret nihil, quinam in illas compositionis leges coerint, aut otiose dicis que tantum causa ipso illo Art. VII. §. 1. scriptum esset, *inter utramque Protestantium partem ita conuenisse*. Vnde ne per analogiam quidem ab iis ad Catholicos licet argumentari, quoniam, inter se licet duas illi partes constituent, a Catholicis tamen rationes plane habent diuersas, hisque interuenientibus, vt sub ipsa iam pacificatione ADAMYS c. XXVII. §. 20. prodidit, vnum velut corpus efficere creduntur.

Atque



Atque haec quidem in praesenti sufficiant. Nam quae
 supersunt ex disputatione, quam ingressus sum, alio tempo-
 re persequar. Placuit autem illa praefari scholis primum
 per hos aestiuos menses in hac academia instituendis. De
 quibus cum aliumde Vobis, Commilitones iucundissimi,
 iam significauerim, nolo eas hic repetere, sed Vos potius,
 si rei Vestrae conuenire videantur, ad eas frequentandas hu-
 manissime inuitatos cupio. Equidem, quod per omnem vi-
 tam meam academicam propositum mihi fuit, dabo ope-
 ram, ne quid vmquam fidei et probitatis in me desideretur,
 aut Vos olim fiduciae in me positae yllo modo poeniteat.
 Scr. in Acad. Marburgensi ip[s]is Kal. Maiis An. clclocclxxxv

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

X2338853

ULB Halle
007 362 676

3



LD 1 P



Vol. xx. No. 1. ⁶/₃
1795, 2

DE
INTERPRETATIONE
PACIS WESTFALICAE

COMMENTATIO II

LECTIONIBVS AESTIVIS

AN. MDCCCLXXV

PRAEMISSA

A

D. CAR. HENRICO GEISLERO

SER. LANDGR. HASS. CONS. REGIM

PROF. IVRIS PVBLICI ET IN COLLEGIO

IVRISCONSULTORVM ASSESSORE

MARBVRGI

EX OFFICINA MVLLERIA

Treytagio V. A.

